



TECISM
A D
PARROCO

BX1958
A2
1802
c.1

135921

José Angel Benavides



1080042745

38203

CATECHISMUS
AD PAROCHOS,
EX DECRETO
SACR. CONCILII TRIDENTINI

JUSSU PII V. PONTIF. MAXIMI EDITUS,

*Adjectis variantibus Lectionibus, triplici Indice, & in hac
postr. edit. Auctoribus & Scriptoribus hujus operis, &
Bulla SS. D. N. Pii P. IV. super forma Juramenti Professionis
Fidei: & amplissimo Apparatu, in quo explanatur cur, quando,
à quibus Patribus concinnatus, à quibus probatus, & quas
utilitates attulerit;*

Ad instar editionis Taurinensis omnium locupletissima
& emendatissima impressus:

*Nunc verò summa diligentia à mendis purgatus operà & studio
D. JOACHIN CASTELLOT, Sacræ Theologiæ Doct. inter Monialium
Basilicæ SS. Incarnationis Matritensis Regiæ Capellanus
Doctores adscripti.*



MATRITI: MDCCCII.
TYPIS PLACIDI BARCO LOPEZ,

Superiorum permissu.

38203

Bx 1958
A2
1802



FUNDO BIBLIOTECA PÚBLICA
DE
135921
LEÓN

EDITOR MATRITENSIS

LECTORI.

Catechismum Romanum, seu potius proprium & præcipuum totius Orbis Catholici Catechismum typis Matritensibus evulgaturi, ad optimæ editionis exemplar editionem nostram exigendam, summâque diligentia ab erroribus expurgandam duximus: quas tantum partes industriæ nostræ reservatas fuisse intelligebamus. Atque utrumque quidem præstare conati sumus, nam & singulari cura adhibita adlaboravimus, ut Catechismus in lucem prodiret quam emendatissimus fieri posset (fieri autem vix poterat in tanta præsertim operarum negligentia, ne dicam imperitia) & editione Taurinensi usi sumus recentissima omnium, quas videre licuit, & castigatissima. Neque enim inter editiones florentissimæ hujus ætatis recenseri meretur Barchinonensis, quantumvis nuper evulgata; cujus Editor adeo religioni sibi duxit vetustissimam illam Manutianam serviliter exprimere, ut ne adhibuerit quidem distributionem Operis in sectiones & capita, quam ipse Pius V. Pontifex Maximus prætermissam à Manutio fuisse ægrè tulit, quemadmodum testatur in Epistola ad Episcopum Warmiensem, Lectores triplici Indice, aliisque ad faciliorem libri usum spectantibus privaverit: quod utramque Editionem invicem conferenti, & Typographi Taurinensis monitum hic subjiciendum legenti faciliè apparebit. Sed quid hæc ornamenta requirimus ab homine, quicumque tandem ille sit, qui ne turpissimum quidem solæcismum (a) qui in Editionis Romanæ ann. 1761. ad Lectorem admonitione fortè irrepsit, animadverterit, neque emendandum curaverit? Verùm hæc de rebus exigui, ut plerisque videntur, momenti, dicta sint satis: ad graviora veniamus.

Si ad doctorum tantummodò hominum manus perventurum hoc opus confideremus (quod sanè optandum potius quam sperandum videtur) supervacaneum profectò foret, duo in ipso limine admōnere, quæ in nulla hæcenus Editione prænotata animadvertimus: Primum, Decretales Epistolas Romanorum Pontificum, qui Siricium præcessere, quæque in contextu, aut ad oram citantur, planè esse supposititias. Alterum, nonnulla opuscula, quæ Sanctorum Patrum nomine sæpè in Catechismo laudantur, vel ipsorum non esse, vel saltem de veris eorum Auctoribus adhuc dubitari. Qua de re consulendi, præter Scriptores qui de *Traductoribus* Ecclesiasticis egere, Benedictini è Congregatione S. Mauri in præstantissimis Patrum Editionibus, & Cellierus ex eadem Familia, qui de Auctoribus Ecclesiasticis doc-

(a) Pag
301.

ij
tissimum opus nuper evulgavit, Quod semel animadvertisse
sufficiat.

Reliquum est, ut pauca de ipsius Operis utilitate præfatione
Taurinensi fideliter excerpta subjungamus. "Quanti (inquit
»Auctor) intersit ejusdem Catechismi Romani doctrinam Paro-
»chos & Clericos animo primùm percipere, verbis postea popu-
»lo fideli tradere, satis luculenter docent quotquot Pontificum
»& Episcoporum, post Patres Tridentinæ Synodi, eam sive in
»Conciliis, sive in Epistolis summis laudibus non solum extu-
»lerunt, sed etiam cœtui universo Ecclesiastico studiosissimè
»commendarunt. Inter quos principem locum tenet Sanctus Ca-
»rolus Borromæus, qui in prima Synodo Mediolanensi, quam
»habuit anno 1565. Clericos omnes postquam annum decimum
»attigerint, præcipit hunc Catechismum assiduè legere: in Sy-
»nodo autem anni 1569. jubet, Parochos aliquam Catechismi
»Romani lectionem inter se convenientes tractare: & in Sy-
»nodo anni 1576. inter libros, quos Episcopo visitanti Paro-
»chus exhibere debet, recenset Catechismum Romanum, & in
»Synodo anni 1577. decernit, eosdem Parochos in Sacramento-
»rum administratione Catechismi Romani locos & doctrinam ad-
»hibere: & anno 1579. ubi de examinandi ratione, sancit ab
»ordinandis inquiri, an Catechismum Romanum habeant, ejus-
»que doctrinam teneant. Summorum Pontificum non minùs,
»quàm hujus sanctissimi viri vestigiis insistens, eodemque zelo
»inflammatus S. D. N. Clemens XIII. editum typis Romanis
»hunc eundem Catechismum Patriarchis omnibus, Primatibus,
»Archiepiscopis & Episcopis, nuper datis litteris, quas hic
»subjunctas Lector inveniet, etiam atque etiam commendavit:
»ut Parochi & Clerici præ cæteris ex eo, veluti ex fecundissimis
»Sanctæ Matris uberibus, Ecclesiasticæ Doctrinæ suavissimum
»lac exurgerent. Dent igitur operam quicumque in sortem Do-
»mini vocati sunt, ut eum assidua lectione pervolvant, pro
»certo habentes, se muneri suo satis tùm demum facturos, cùm,
»quæ hoc libro continentur, optimè perspecta habuerint, & ea,
»quæ par est sedulitate præstiterint: ut illi (quod olim de elo-
»quentissimo Romanorum Oratore dictum est) se satis in Doctri-
»næ Catholicæ institutionum studio profecisse sciam, queis Cate-
»chismi Romani lectio valdè placuerit."

iiij
CLEMENS PAPA XIII.

Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Primate-
bus, Archiepiscopis & Episcopis.

Venerabiles Fratres, salutem & Apostolicam
Benedictionem.

In Dominico agro, cui excolendo, divina disponente Providen-
tia, præsumus, nihil tam vigilantem curam & perseverantem re-
quirit industriam, quàm jacti boni seminis, Catholicæ nimirum
doctrinæ à Christo Jesu & ab Apostolis acceptæ, nobisque tra-
ditæ custodia; ne si pigro otio & inerti desidia negligatur, dor-
mientibus operariis, inimicus humani generis superseminet ziza-
nia; ex quo fiat ut in die messis, potius quam condenda in hor-
reis, inveniantur ea, quæ urenda sint flammis. Atque ad tuendam
quidem semel traditam (a) Sanctis fidem nos vehementer excitat
Beatissimus Paulus, qui Timotheo scribit, ut bonum (b) custodiat
depositum, quòd periculosa (c) tempora instarent, cum in Eccle-
sia Dei homines (d) mali & seductores existerent, quorum opera
adhibita insidiosus ille tentator his erroribus incantatas mentes co-
naretur inficere, qui sint Evangelicæ veritatis inimici. Verùm si,
quod sæpe accidit, quædam in Ecclesia Dei sese extulerint præ-
væ sententiæ, quæ adversis quidem sibi frontibus pugnantes, in
eo tamen conspirent, ut Catholicæ Fidei puritatem quoquo mo-
do labefactent; tùm verò difficillimum est, ea cautione inter utrum-
que hostem ita nostrum librare sermonem, ut nulli eorum terga
vertisse, sed utrosque Christi hostes æquè vitavisse & condem-
nasse videamur. Atque interdum res est ejusmodi, ut facilè dia-
bolica falsitas veri quadam similitudine coloratis se tegat menda-
ciis, dum via sententiarum brevissima abjectione aut commutatio-
ne corrumpitur, & confessio, quæ operabatur salutem, subtili
nonnumquam transitu vergat in mortem.

Ab his propterea lubricis angustisque semitis, quibus insiste-
re aut ingredi sine prolapsione vix possis, avertendi sunt Fide-
les, ac præsertim qui rudiores sint ac simpliciore ingenio: nec
per invia loca ducendæ sunt oves ad pascua; nec singularia quæ-
dam, etiam Catholicorum Doctorum, placita iis sunt proponen-
da, sed illa certissima Catholicæ veritatis nota tradenda est,
Doctrinæ universitas, antiquitas & consensus. Præterea cùm
non possit vulgus ascendere (e) in montem, in quem gloria Do-
mini descendit, & transcendens terminos ad vivendum peribit;
termini figendi sunt populo ab ejus Doctoribus per circuitum,

(a)
Judæ 3.
(b)
2. Tim.
1. 14.
(c)
Ibid. 1. 1.
(d)
Ibid. 5.
13.

(e)
Exodi
19. 12.

ut ultrà ea, quæ sunt ad salutem necessaria, aut summoperè utilia, sermo non divagetur, & Fideles Apostolico dicto pareant: non plus (a) sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.

Hæc cum probè intellexissent Romani Pontifices Prædecessores nostri, in id omnem suam operam contulerunt, ut non modò venenata germina subnascentium errorum anathematis gladio præciderent, sed etiam succrescentes opiniones quasdam amputarent, quæ vel redundantia in Christiano populo fidei uberiores fructum impedirent, vel Fidelium animis proximitate nocere possent erroris. Postquam igitur Tridentina Synodus eas, quæ tùm temporis Ecclesiæ lucem offuscare tentaverunt, hæreses condemnavit, & Catholicam veritatem, quasi discussa errorum nebula, in clariorem lucem eduxit; cum iidem Prædecessores nostri intelligerent, sacrum illum universalis Ecclesiæ Conventum tam prudenti consilio, tantaque usum esse temperantia, ut ab opinionibus reprobandis abstinerent, quæ Doctorem Ecclesiasticorum auctoritatibus fulcirentur; ex ejusdem sacri Concilii mente aliud opus confici voluerunt, quod omnem doctrinam complecteretur, qua Fideles informari oporteret, & quæ ab omni errori quam longissimè abesset. Quem librum *Catechismi Romani* nomine typis impressum evulgarunt; dupliciter in ea re laudandi. Nam & illuc eam doctrinam contulerunt, quæ communis est in Ecclesia, & procùl abest ab omni periculo erroris, & hanc palam populo tradendam disertissimis verbis proposuerunt; ita Christi Domini præcepto obtemperantes, qui Apostolos dicere (b) in lumine jussit, quod in tenebris ipse dixisset, & quod in aure audierant, super tecta prædicare; Ecclesiæque Sponsæ obsecuti, cujus illæ voces, indica mihi (c) ubi cubes in meridie: ubi enim non sit meridies, atque ita perspicuè lux, ut liquidò veritas cognoscatur, facile pro ea recipitur falsitas propter veri similitudinem, quæ in obscuro difficulter à vero discernitur. Noverant enim fuisse antea, & deinceps futuros, qui pascentes invitarent, & sapientiæ scientiæque uberiores promitterent pascua, ad quos multi confluerent, quia aquæ (d) furtivæ dulciores sunt, & suavior panis absconditus. Ne igitur seducta vagaretur Ecclesia post greges sodalium, qui & ipsi sint vagi nulla stabiles certitudine veritatis, semper discentes (e) & numquam ad scientiam veritatis pervenientes, idcirco quæ ad salutem tantummodò essent necessaria & maximè utilia, clarè in *Romano Catechismo*, & dilucidè explanata, Christiano populo tradenda proposuerunt.

Verùm hunc librum non mediocri labore & studio compositum, omnium consensione probatum, & summis laudibus exceptum, his temporibus è Pastorum manibus propemodum novitatis amor excussit, cum alios atque alios Catechismos extu-

(a)
Roman.
12. 3.

(b)
Matth.
10. 27.

(c)
Cant. 1.
6.

(d)
Prov. 9.
27.

(e)
1. Tim.
3. 7.

lerit, nullo modo cum *Romano* comparandos: unde duo mala extiterunt; alterum, quod illa fuerit in eadem docendi ratione propè sublata consensio, oblatumque pusillis quoddam scandaligenus, quibus sibi ipsis jam non ampliùs esse videantur in terra labii (a) unius & sermonum eorundem: alterum, quod ex diversis, variisque tradendæ Catholicæ veritatis rationibus ortæ sunt contentiones, & ex æmulatione, dum alius se Apollo, alius Cephæ, alius Pauli se dicitat sectatorem, disjunctiones animorum, & magna desidia: quarum dissensionum acerbitate nihil ad Dei gloriam minuendam exitius putamus, nihil ad extinguendos fructus, quos è Christiana disciplina æquum est Fideles percipere, calamitosius. Itaque duplex hoc malum ut ab Ecclesia tandem amoliremur, illuc duximus redeundum, unde quidam parùm prudenti consilio, nonnulli etiam superbia ducti, ut sese in Ecclesia jactitent sapientiores, jamdudum Fidelem populum avocaverant, & eundem *Catechismum Romanum* Pastoribus animarum iterum porrigendum existimavimus; ut qua ratione confirmata olim fuit Catholica Fides, & in doctrina Ecclesiæ, quæ est columna (b) veritatis, Fidelium mentes corroboratæ; eadem nunc à novis quoque opinionibus, quibus nec consensio nec antiquitas suffragatur, quam longissimè avertantur. Atque parabilior ut feret liber, & maculis quas operarum vitio contraxerat, emendatior, illum ad ejus exemplum, quem S. Pius V. Prædecessor noster ex Tridentinæ Synodi decreto vulgavit, iterum omni adhibita diligentia excudendum in Alma Urbe curavimus; qui in popularem sermonem ejusdem S. Pii jussu conversus & editus, propediem mandato itidem nostro typis impressus, denuò prodibit in lucem.

Quod igitur hoc Christianæ Reipublicæ difficillimo tempore ad pravaram opinionum fraudes removendas, & veram sanamque doctrinam propagandam stabiliendamque opportunissimum subsidium cura nostra præbet & diligentia; vestrum est, Venerabiles Fratres, operam dare, ut à Fidelibus recipiatur. Ac propterea hunc librum, quem veluti Catholicæ Fidei, & Christianæ disciplinæ normam, ut etiam in tradendæ doctrinæ ratione constaret omnium consensio, Romani Pontifices Pastoribus propositum voluerunt, vobis, Venerabiles Fratres, nunc maximè commendamus, Vosque etiam enixè in Domino cohortamur, ut jubeatis ab omnibus, qui animarum curam gerunt, in informandis Catholica veritate populis adhiberi, quo tùm eruditionis unitas, tùm charitas, animarumque servetur concordia. Vestrum enim est tranquillitati omnium studere, quæ denique sunt partes Episcopi, qui propterea illuc intentos oculos habere debet, ne quisquam propter suos honores superbè agendo schismata faciat, unitatis compage disrupta.

Nullum tamen, aut certè exiguum hi libri fructum præbunt

(a)
Gen. 11.
1.

(b)
1. Tim. 3.
15.